



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

§.15. Eduardus in Palæstina.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.  
A.C. 1271.

§. XV.

*Eduardus in Palæstina.*

*Sanct. p.*  
224.

*Knyght. p.*  
2457.

*Sanct. p.*  
223.

*V. Rat.*  
*temp. p. 2.*  
*l. 3. c. 13.*

Eduardus Anglorum Regis filius nato major transacta in Sicilia hyeme, marinum in Palæstinam iter ingressus, 9 Maji an. 1271. Ptolemaidis portum attigit cum mille viris delectis. Ibi mensam traduxit, ut & suos reficeret, & statum regionis perquireret, ubi Bondocdarus Sultanus Ægyptius magnos per triennium progressus fecerat. Septimo Martii 1268. Joppe induciarum tempore per prodicionem capta, cum inopes necessit, reliquis expilatis præsidium dedit. Quinto decimo Aprilis castro Bellofortio potitus contra Tripolim, cujus hortos evertit, tum contra Antiochiam movit: quam 29 Maji sine pugna nactus, occis septendecim millibus hominum, supra centies mille mancipia abduxit ita, ut grandis hæc urbs deserta maneret, nec postea incolis frequentaretur. Mille quingentos octoginta circiter annos steterat. Hoc anno 1271. 18 Febr. Bondocdarus arcem Cracam ad Hospitalarios pertinentem obsidere coepit; qui 8 Aprilis eam dedere cogebantur. Dein cum Comite Tripolitano inducias pactus, Monfortio, quod Germanorum erat, subacto dirutoque, ad Ptolemaidem copias admovit.

Eduar-

Eduardus mensis spatio quieti dato, <sup>Sæcul.XIII.</sup>  
 septies mille circiter Christianos ducens, <sup>A.C.1271.</sup>  
 edomito Nazaretho peremit incolas. Sic  
 excursus plures per sesquiannum, quem  
 Ptolemaide agebat, fecit; at sine ma-  
 gno effectu. Eodem tempore ibidem  
 erat Rex Hierosolymitanus Hugo III.  
 Henrici Pictaviensis Antiochiæ Principis  
 & Isabellæ Lusiniacensis filius ac succes-  
 sor Hugonis II. cognati sui, qui quatuor- <sup>Lign.d. Ou-</sup>  
 decim annos habens mense Novembri <sup>trem. p. 360.</sup>  
 an. 1267. diem obierat. Hugo III. jam  
 erat Rex Cypri, & 24. Sept. an. 1269.  
 Tyri se in Regem Hierosolymitanum co-  
 ronari curaverat. Hunc titulum annis  
 14 ac dimidio gessit.

§. XVI.

*Gregorius X. Papa.*

Illo ipso tempore Ptolemaidem pietatis <sup>Rayn. 1271.</sup>  
 causa advenerat Theobaldus Archi- <sup>n. 7.</sup>  
 diaconus Leodiensis sacra obiturus loca,  
 cum se in Papam electum esse ibi com-  
 perit. Nam præsentibus Viterbii quinde- <sup>t. II. Conc.</sup>  
 cim Cardinales denique per compromif- <sup>p. 925.</sup>  
 sum sex e suo numero Papam cooptandi  
 facultate impertierant: & illi sex 1. Sept.  
 an. 1271. Archidiaconum Theobaldum  
 concordibus designarant suffragiis. Ex  
 Visconti Pro-Comitum familia Placentiæ  
 natus, primum Canonicus Lugdunensis,  
 dein-